

D E  
ECCLESIAE CATHOLICAE  
AUCTORITATE,

Quæ tertio loco continetur.  
LIBER QUARTVS.

CAPVT PRIMVM.

*Quibus argumentis ecclesie auctoritas impugnetur.*



**T**ERTIA huius operis pars perfecta est, quam Theologis cupio esse notissimam. In quarto nunc libro auctoritatem ecclesie explicare, ac tueri debemus: de qua ita copiose a viris ecclesiasticis disputatum est, ut una hac de re magna etiam volumina ediderint. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutæ scriptionis, ac temporis, de ecclesie auctoritate in fidei iudicio differere, atque adeo id docere breviter, an ex fidelium communi sensu firma duci argumenta possint ad dogmata Theologiae comprobanda. Ac Montanus quidem discipulis suis primus suavit, ut nihil reverentiae deferrent ecclesie, quæ per orbem terræ est, quemadmodum Apollinaris, Eusebiusque testati sunt (1). Nestorius

(1) 1. Lib. advers. Caraphri. 5. Lib. eccles. hist. cap. 16.

ius deinde totam ecclesiam errare affirmavit, quæ ignaros, sic enim aiebat, erroneosque doctores sequeretur, ut Vincentius Lirinensis (2) retulit. Et Iconomachi post asseruere, ecclesiam adorandis imaginibus diu ac multum in turpi errore versatam, quod synodus septima in actione sexta tradidit. Nam & Donatistas, & Rogatianos ecclesie catholice auctoritatem non voce illos quidem sed re ipsa tamen contempnissse, Augustinus scripsit cum alias sæpe, tum in epistolis, 48. ad Vincentium, 50. ad Bonifacium, 161. ad Honoratum. Et, ne omnes commemorem, Lutherus demum suum Wicleff secutus est, ecclesiamque cum aliis tum in eo errare dixit, quod sub una specie contra Christi legem communionem tribuit laicis. Quin astruxit aliquando, si vera Coclæus perhibet, errasse illam mox ab initio, ut quæ Paulo repugnante senserit, legem & opera esse necessaria ad salutem (3). Breviter, hæreticis omnibus hoc gentile est, simulatque sese ecclesie auctoritate urgeri vident, aut illam spernere, aut ecclesie rem ad se nomenque transferre, & eam in illis esse negare, in quibus re vera est. Vtrumque horum, quoniam ambo in unum idemque recidunt, plurimis argumentis hæretici persuadere conantur.

Primum est huiusmodi, Aaron summus ipse sacerdos, 1. Argum  
aliique ex plebe, sive maiores sive minores, vitulum conflabilem adorarunt (4), eique obtulerunt hostias pacificas & holocausta: ecclesia ergo Christi ad eundem modum poterit sculpsile, & imagines adorare. Id si faciat ut facit, errabit sine dubio in fide, ac religione turpissime.

Rursum, ecclesia Isaia, Hieremieque temporibus in 2. Argum  
unius veri Dei cultu lapsa est; quid igitur prohibet, quominus & nunc in Deo uno veroque colendo erret? Eadem quippe ecclesia est, nec in hac re ullum reperietur populi novi, veterisque discrimen. Quod vero est huius argumentationis antecedens, id eorundem prophetarum clarissimis testimoniis existimant se ostendere. *Cognovit bos*, prior ille inquit (5), *possessorem suum, & asinus praesepe domini sui, Israel*  
au-

(2) In lib. de prophan. nova. (3) Actor. 15. ubi prescriptum est, abstinere a sanguine & suffocato necessarium esse. (4) Exod. 32.  
(5) Isai. 1.



autem me non cognovit, &c. A planta pedis usque ad verticem capitatis non est in eo sanitas. Et posterior, Confusi sunt, ait (6) dominus Israel: ipsi & reges eorum principes, & sacerdotes, & propheta dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuisti. Et paulo post, Quid vultis mecum iudicio contentere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Item (7), Circumite vias Hierusalem & querite, an inveniatis virum facientem iudicium, & querentem fidem: & propitius ero ei. Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantem viam domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, ipsi enim cognoverunt viam Domini. Et ecce magis hi confrugerunt iugum, &c. Tota igitur ecclesia eo tempore errabat.

3. Argum Præterea ecclesiam non oportet digito demonstrari: quin nulla apparente forma consistere in occulto potest. Frustra autem eius iudicium expectes, quam, quæ sit, penitus ignores. Illud suadent, quoniam in populo Iudæorum sic sæpe ecclesia deformata est, ut nulla eius species extaret. Quam enim putamus formam eminuisse, cum Helias (8) solum se relictum deploraret? Quam, cum populus ille apud Babylonios, Persas, Ægyptiosque dispersus sine sacerdotio, sine templo, sine sceptro, gentibus, ac diis alienis in terra aliena serviret? A Christi ergo adventu deformis etiam latere ecclesia poterit: bellisque, seditionibus, & hæresibus ita opprimi, ut nulla parte refulgeat.

4. Argum Et sane suo iam sæculo Hilarius latentem ecclesiam potius credebatur, quam cernebat. Adeo Ariana factio omnia miscuerat. Male, inquit (9), vos parietum amor cepit: male ecclesiam Dei in rebus, adificiisque veneramini: male sub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum est, in iis Anti-christum esse sessurum? (10) Montes mihi, & sylva, & lacus, & carceres, & voragine sunt tutiores: in his enim propheta aut manentes, aut demersi prophetabant. Quibus ille verbis modeste, ac verecunde significat ecclesiam Christi non in episcopis, non in sacerdotibus, non in templis, non in populi frequentia, sed in piis esse quærendam: qui interdum prophetarum more (11), vel in

(6) Hierem. 2. (7) Hierem. 5. (8) 3. Reg. 19.

(9) Contra Auxentium. (10) 2. Thes. 2. (11) Hebr. 11.

agro, locisque desertis errant, vel in sylvis abstrusi sunt, in speluncis & in cavernis terræ.

5. Argum Quid, quod sub diversis pontificibus diu schismate perdurante nulla interim ecclesiæ facies apparuit? Manifestam porro ecclesiam si eius sæculi fideles requisissent, nec aliam crederent, quam quæ oculis cerneretur humanis, nullam profecto invenissent. An vero tunc nulla fuit, quoniam occulta fuit?

6. Argum Atque ut antehac ecclesia dilucide, clareque resplendisset, qui scimus tamen an posthac veram semper, genuinamque formam sit habitura? Nimirum enim, si præteritis sæculis ita Dominus populi sui facinora vindicavit, ut eum & absurdissimis mendaciis ludi, & altissimis tenebris offundi passus sit: cur non timeamus, ecclesiam Christi etiam nunc cæca nocte, crassaque caligine adeo occultari, & circumfundi posse, ut nulla eius vera facies effulgeat? Quasi vero iam nulla sint domini iudicia, ut eodem pœnæ genere mundum hodie puniat, quo populi veteris ingratitude aliquando ultus est. Nempe, ut pastores atque oves stupore ac cæcitate percutiat, ecclesiæque suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat. Hic videlicet hæretici quasi re confecta insultant, nosque miris modis irrident, qui gloriemur in verbis illis, Templum Domini, templum Domini est (12). Translata, inquit, Samaria est: & cum Hierusalem externis larvis inhærens templum, ceremonias, sacerdotium, sacramenta, scripturasque iactaret: & ipsa quoque translata est. Ita, quod de orientali ecclesiæ accidit, idem occidentali poterit: ut forma eius, vel in fumos abeat, vel certe omnino delitescat. Ecquis autem fidem fecit, aut peccata nostra quam illorum esse leviora, aut Deum in nos quemadmodum in illos non esse animadversurum? Præsertim cum non obscure varicinetur apostolus (13), venturam in ecclesia defectionem: quæ utique venire non potest, dum vera ecclesiæ forma, & facies extiterit. Qualis autem hæc illo erit tempore, de quo Dominus ait (14), Veruntamen, filius hominis veniens, putas, inveniet

(12) Hierem. 7. (13) 2. Thes. 2. (14) Luc. 18.



*fidem in terra?* Qualis, inquam, erit, cum deficient hostia & sacrificium? (15) Qualis demum cum, ut Ioannes scribit (16), putei fumus solem, & aerem obscurabit? Qua ex re nihil sane aliud intelligitur, quam ecclesiam usque adeo nostra hac ætate obscurandam: ut nisi in tenebris inveniri non queat. Quid autem externam ecclesiae faciem fulgoremque defendimus, cum omnis gloria filiae regis ab intus? (17) Quod si invisæ & occulta ecclesia est, inexploratum quoque, & incertum erit, quod sumetur ex eius auctoritate argumentum.

## 7. Argum

Præterea, ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur, soli autem Deo notus est numerus electorum in superna felicitate locandus: ecclesia igitur nobis abdita omnino, & incognita est. Prior illa propositio, in qua difficultas tota inest, suadetur imprimis Augustini testimonio (18), disertis verbis asserentis ex numero solum prædestinatorum, qui in occulto sunt intus, constare hortum conclusum, fontem signatum (19), puteum aquæ vivæ, paradysum cum pomorum fructibus. Nemo vero fidelium dubitat, ecclesiae Christi hæc proprie esse attributa omnia. Sed ne ambigi quidem potest, quamvis non ita Augustinus exponeret, in hortu concluso, & fonte signato non alios intelligi atque eos, de quibus scriptum est (20). *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Novit Dominus qui sunt sui.* Probat quoque eandem rem Augustinus (21) ex eo quod Petrus (22) arcam ecclesiae typum esse dixit, in qua octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Non ergo nisi ii, qui servantur, intra arcam esse existimandi sunt. Nam Christus non est alterius ecclesiae caput, nisi eius, cuius salvator est, & quam sibi exhibet gloriosam, ut ad Ephesios docet Apostolus (23). Ii ergo, qui nec salvæ, nec gloriosi futuri sunt, non sunt eius ecclesiae partes, cuius Christus caput est. Deinde, e filii Dei ecclesia conficitur, utpote cum non aliorum sit ecclesia mater ac eorum, quorum Deus pater est. Hos autem vere filios

(15) Daniel. 9. (16) Apoc. 9. (17) Psalm. 44. (18) Lib. 5. contr. Donat. cap. 17. (19) Cant. 4. (20) 2. Timoth. 2. (21) Lib. 5. cap. 18. (22) 1. Petr. 3. (23) Ephes. 5.

lios Dei esse liquet, qui paternam hæreditatem percepturi sunt. *Si filii*, inquit (24), & *heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Ovile item Christi non nisi ex Christi ovibus constituitur: at oves Christi illæ modo sunt, de quibus ipse ait (25), *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Ioannes denique evangelista (26) de quibusdam, qui ab ecclesia exiisse videbantur, cum re vera nunquam fuissent in ecclesia, *Ex nobis*, ait, *prodierunt: sed non erant ex nobis.* Quid ita? *Quia si fuissent*, inquit, *ex nobis: permansissent utique nobiscum.* Non igitur ex ecclesia sunt, nisi qui in suscepta gratia permanent. Atque hunc locum, quoniam in promptu erat, Augustinus in lib. de correct. & grat. cap. 9. & de bono persever. cap. 8. (27) de prædestinatis intelligit, scilicet Hieronymum secutus in dialogo adversum Luciferianos.

## 8. Argum

Ad hæc, veram Christi ecclesiam perfectam esse, & immaculatam oportet. Tota enim pulchra est & macula non est in ea (28). Et rursus (29), *Vna*, ait, *est columba mea, perfecta mea.* Et apostolus quoque ipse (30) sine macula eam, ac ruga describit. Et Isaias (31), *Non adiciet*, inquit, *ut pertranseat per te incircuncisus & immundus.* Ecclesiam vero immaculatam censere, cuius membra nonnihil impuritatis habeant omnia, quam inane, ac fabulosum est? Nulla igitur eiusmodi nunc temporis extat ecclesia. Illo solum tempore extitisse videtur, cum vere a Ioanne (32) scriptum est, *Omnis qui peccat, non cognovit eum.* Et *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. Quod si universos, qui Ecclesiasticæ societatis participes sunt, necesse est sine peccato, & macula existere: aut nulli profecto sunt, aut occulti nobis, & incogniti sunt. Quod apostolus videtur affirmare, cum ecclesiam Christi a Synagoga discernens, non eam sensilem, & tractatam, sed spiritualem intractatamque describit, nem-

Tom. I.

Gg

pe

(24) Rom. 8. (25) Ioann. 10. (26) 1. Ioan. 2. (27) De penit. d. 4. cap. si ex bono. (28) Canticor. 4. (29) Canticor. 6. (30) Ephes. 5. (31) Isai. 52. (32) 1. Ioann. 3.



pe ex folis perfectis, prædestinatisque constantem. *Non accessistis*, ait (33), *ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, sed ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Hierusalem caelestem, & ecclesiam primitivorum, quæ conscripti sunt in calis, & spiritus iustorum perfectorum.*

2. Argum

Adde, quod ecclesiam non quamlibet, sed sanctam fideles tenentur credere. At in sancta congregatione non nisi sancti intelliguntur. *Filii sapientia*, inquit (34), *ecclesia iustorum.* Quod si homines aliquot demones, quorum vel unus, iniquus sit, falso dixeris hos esse æquos. Quemadmodum si ex decem viris unus sedeat, cæteris licet currentibus, decem currere falsum est. Est quoque altera causa eiusdem rei vehementissima, quod si mali membra ecclesiae sunt, membra etiam Christi erunt. Sunt autem haud dubie membra diaboli. Quare & iidem cives Hierusalem, ac Babyloniae simul erunt, & membra quoque simul Christi & diaboli. Quo quod absurdius aut dici, aut excogitari potest. Nisi forte societas est luci ad tenebras, conventio Christo ad Belial (35). Membra certe corporis eiusdem sibi vicissim contraria esse non queunt, at contra bonum malum est, contra vitam mors, & contra virum iustum peccator, ut Sapiens ait (36), non ergo iustus, & peccator ecclesiastici sunt corporis membra. Docet item Aristoteles (37), auctor sentiendi gravissimus, cui etiam Divus Thomas assentit, membra mortua non aliter esse membra atque ea, quæ picta, & figurata sunt: peccator ergo, cum mortuus sit, membrum ecclesiae & pars vere, ac proprie non est, sed æquivoce ac figurate. Præterea *unus panis, & unum corpus multi sumus*, quemadmodum in priore ad Corinthios epistola (38) apostolus tradidit: constat autem, ut acute Cyprianus (39) ad Magnum argumentatur, panem ex multorum granorum adunatione congestum: peccatores ergo, qui paleæ sunt, sicut nec in panis, ita nec in corporis ecclesiae compositionem veniunt. Id quod Augustinus non obscure

(33) Hebr. 12. (34) Ecclesiast. 3. (35) 2. Corinth. 6.

(36) Ecclesiast. 33. (37) 2. Do anim. text. 9.

(38) 1. Corinth. 10. (39) Epist. 6. libri primi.

re testatur, atque ita multis in locis, ut de iudicio eius dubitari non possit, quin hanc habuerit firmam perpetuamque sententiam. Libro enim contra Petilianum secundo (40), *Nec putandi sunt mali*, ait, *in Christi corpore esse, quod est ecclesia, quamvis sacramentorum eius corporaliter participes fiant.* Item libro contra Cresconium secundo (41), *Qui mente*, inquit, *perversa videtur intus esse, cum foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est.* Et posterius, *Etiamsi nesciente ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnata a Christo iam in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia, quoniam non potest habere Christus membra damnata. Proinde & ipsi extra ecclesiam baptizant.* Omnia quippe ista monstra absit omnino, ut in membris columbae illius unica computentur. Loquitur autem dubio procul de fidelibus peccatoribus, ut ex antecedentibus & consequentibus liquido apparet. Item libro de unitate ecclesiae (42) affirmat, malos in ecclesia minime deputari. Item libro quarto de baptismo contra Donatistas (43), & libro sexto (44) disertè etiam affirmat, qui contra Christi mandata faciunt, eos ad illam ecclesiam non pertinere, quam Christus mundat lavacro aquæ, & de qua scriptum est, *una est columba mea.* Et libro septimo (45) ait, malos non pertinere ad compagem domus, quæ est ecclesia, atque haud secus in domo esse, quam palea dicitur esse in frumento. Sed & in eodem libro (46) Cyprianum refert in epistola ad Magnum huius sententiæ non solum auctorem, sed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophético testimonio, *Qui habitare facit unanimes in domo.* Quibus igitur nec una anima, nec unum cor in domino est, hi in ecclesia, quæ domus Dei est, nullo modo habitant. Et Hieronymus (47), *Ecclesia*, ait, *Christi non habet maculam, nec rugam.* Qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari. Possibile est autem, ut peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipsius, & fiat de ecclesia, quæ corpus est Christi. Quod si ecclesiam,

Gg 2

cu-

(40) Cap. postremo. (41) Cap. 21. (42) Cap. 12.

(43) Cap. 3. (44) Cap. 3. (45) Cap. 51. (46) Cap. 49 & 50. (47) In epist. ad Ephes. cap. 5.



cuius auctoritati deferimus, sanctam esse necesse est, atque adeo ex piis solum, iustisque constare: nusquam porro faciet certam in Theologia fidem, quousque certo indicio demonstret se sanctam esse. Id quod nullo modo potest, siquidem solus Deus novit corda filiorum hominum (48).

10. Arg. Quærent etiam a nobis, cur in censenda ecclesia infamiamus, cum eam minime dubio symbolo designarit Christus? Ego, inquit (49), sum Pastor ille bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me mea: Oves mea meam vocem audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Qui ergo vocem Christi non audit, is ad Christi ovile non pertinet: ac proinde, ne pars quidem ecclesie Christi est.

11. Arg. Præterea, si ecclesiam boni simul, ac mali constituerent, qua ratione propter iustos pauculos sancta dicitur, eadem ac multo etiam maiore propter iniquos plurimos iniqua ecclesia diceretur. Quamobrem idem omnino cœtus & Christi esset ecclesia, & Synagoga Sathanae. Non igitur nisi boni Christi ecclesiam conficiunt. Quocirca invisâ hominibus illa est, atque adeo minus cognita, quam ut eius testimonium certam & exploratam faciat fidem.

12. Arg. Duæ insuper ecclesie sunt Græca, & Latina, quarum utri credendum sit, non satis, ut aiunt, expeditum est. Responderi solet, Græcos esse schismaticos, idcirco apud eos ecclesiam periisse. Quo iure? Quia a Romano Pontifice decidendo privilegium ecclesiastici nominis amiserunt. Quid vero? An non multo magis amittunt, qui a Christo vero ecclesie capite deficiunt? Atque ante Christi nativitatem una priorum omnium ecclesia fuit, nec in ea tamen fuit unus pastor aut rector. Non ergo ex uno pontifice ecclesie nomen ac veritas pendet. Ecclesia igitur Græca erit, quamvis episcopo Romano non pareat. Quo videlicet mortuo nihilo fecius una ecclesia est, eademque & columna, & firmamentum veritatis. Non ergo ex hoc capite ecclesie veritas, unitasque existit. Sed si unum Dominum habet, unam Christi fidem, unum baptisma: si unum filium agnoscit, unum spi-  
ri-

(48) 2. Paral. 6. (49) Ioann. 10.

ritum colit, unum Deum & patrem omnium suscipit: una Christi ecclesia erit. Iis enim rebus unam Christi ecclesiam definit apostolus (50). Nihil itaque causæ est, cur Græci, in quibus ea omnia insunt, in quibusque multi etiam boni sunt viri, ecclesiam Christi non faciant. Arroganter igitur ecclesia Latina in fidei iudicio ecclesie catholice sibi nomen usurpat. Quapropter, nisi idem cum Græca sentiat, ecclesie universalis auctoritate caret, non tenemurque perinde eius iudicium revereri, ac si catholica vera esset.

13. Arg. Præterea, catholica ecclesia ideo vocatur, quia per omnes gentes perque totum orbem diffusa est, ut Augustinus, libr. 2. (51) contra Petilian. patefacit: hæc vero sola est, quæ suo nos iudicio ligat, & astringit, quoniam hanc, & non aliam quamlibet sacre nobis literæ commendarunt, quemadmodum plurimis in locis idem Augustinus ostendit (52): non ergo ecclesia, quæ modo est, si qua demum est, certam auctoritatem habet, ut quæ catholica, id est, universalis esse desierit.

14. Arg. Præterea, ex universalis ecclesie sententia nullum omnino argumentum sumi potest. Quomodo enim fidelium omnium sensum in fidei quæstione requiremus? Vanum est igitur ab ecclesia Catholica velle argumentum ducere. Forsitan quispiam dixerit: Pastores ecclesiam repræsentant, atque adeo ipsissima ecclesia sunt; eorum itaque sensum quærere satis esse, quippe cum idem omnino sensus ecclesie sit. At erat Isaie temporibus ecclesia Hierosolymis: de pastoribus vero sic loquitur (53), *Speculatores eius ceci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt a summo usque ad novissimum.* Durabat quoque ecclesia ad tempus Hieremie: audiamus quid de pastoribus dicat (54): *Quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex*

(50) Ephes. 4. (51) Cap. 18. (52) Contr. Petil. libr. 2. contr. Cresc. lib. 3. de unitat. eccles. libr. uno. Epist. 48. 50. 161. (53) Isai. 56. (54) Hieremi. 8.



*lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capri sunt: verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis: A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Cur autem secundum hanc rationem ecclesiam non referrent 400. prophetae illi, qui Achab mentiebantur omnes (55)? At ecclesia Dei vera, id est, quicumque in populo erant pii, a partibus Michææ stabant. Certè, si res ad eum modum haberet, ecclesiae imaginem præ se ferrent prophetae & sacerdotes, cum adversus Hieremiam (56) omnes ad unum fidenter sane iactarent, non posse fieri, ut periret lex a sacerdote, consilium a sapiente, verbum a propheta. Adversum omnes tamen unus Hieremiâs mittitur, qui a Domino denunciaret fore, ut lex pereat a sacerdote, consilium a sapiente, verbum a propheta. Quod si sacerdotes & pastores ecclesiam Dei constituunt, cuius revereri testimonium oporteat, sequitur ab ecclesia Dei alienos fuisse, cumque illa etiam pugnasse. In Israele quidem Heliam, Michæam & similes: In Iuda autem Isaiam, Hieremiam, & reliquos eius notæ, quos sui sæculi sacerdotes, pastores, & prophetae non a se modo abalienarunt, sed diris etiam execrati sunt. Illud, si absurdum & impium existimandum est, ut ne dicam etiam stultum: maneat, sacerdotes, & pastores ecclesiam Dei non fuisse, sed impiam adversus Deum conspirationem, cœtumque hominum pessimorum, a quorum necesse fuit consensione desciscere. Cum itaque pastores etiamnum similes veterum esse possint, nec Christi ecclesiam profecto referunt, nec ex eorum iudicio dogmata fidei probantur. Atque si ex pastoribus, & episcopis Dei ecclesia constat, ubinam gentium ecclesia refidet, ex quo Basiliense concilium Eugenium pontificatu deiecit, subrogato in eius locum Amedæo? Concilium siquidem quantum ad externos ritus attinet, legitimum fuit, nec ab uno solum pontifice, sed a duobus indictum. Damnatu est illic

(55) 3. Reg. 22. (56) Hier. 18.

illic Eugenius schismatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto cardinalium, & episcoporum grege, qui concilio refragabantur. Ex illorum schismaticorum, rebellium, pertinacium gremio prodiit quicquid postea Paparum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum fuit. Vtram igitur in partem ecclesiae nomen conferetur? Negabimus ne generalem synodum eam fuisse, quæ præsentæ Romanæ sedis legato consecrata est? An fatebimur schismaticum Eugenium cum tota sua cohorte, a qua omnes succedentes episcopi sanctificati sunt? Aut ergo pastores in concilium etiam generale coacti ecclesiam Dei minime repræsentant, aut quotquot sunt, ab hæreticis & schismaticis ordinati sunt. His potissimum argumentis Lutherani abutuntur. Nam, quod Calvinus addit, duo esse ecclesiae symbola verbi sinceram prædicationem, & sacramentorum administrationem rectam, in catholicorum vero cœtu pro verbi ministerio mendaciis conflata regnare doctrinam, in locum cœnæ Domini fœdissimum sacrilegium subisse, publicos in templa conventus idololatriæ & impietatis scholas esse: quamobrem veram apud nos, & germanam Christi ecclesiam non esse, sed Sathanæ exitialem, & sacrilegam coniurationem. Id quoniam imprudenter, turpiter, & maledice obiicitur, non est in præsentia refellendum.

## CAPVT II.

*Quid ecclesia voce significetur.*

**E**GO vero pergami & id faciam, quod in principio fieri, cum in omnibus disputationibus, tum in hac magis oportere censeo: ut quid illud sit, de quo disputatio fit, explanetur, ne vagari, & errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligent. *Ecclesia* ergo Græcum nomen est, &, si verbum verbo reddat, Latine *convocatio* dicitur, sive quod omnes ad se